

AEQVATORIVM

quod cum introitu minutorum tui temporis uariantur denominatio-
nes per unam differentiam, ita quod fiet anticipatio per unum locum.
Demum adde secunda secundis, minuta minutis, gradus gradibus, si-
gna signis, & si excreuerint fractiones in sexaginta uel ultra, in quoli-
bet genere denominationum aufer sexagenarium, & loco eius adde
unitatem fractioni præcedenti uersus sinistram, idq; obseruabis in sin-
gulis fractionibus. Cum autem ad gradus peruentum fuerit, si iuncto-
rum numerus graduum, ultra triginta excreuerit, cum triginta gradus
signum constituant, pro eis signum signis subscribe, quod si signa facta
additione duodecim excesserint, cum duodecim signa integrum Zo-
diacum perficiant, duodenarium semper abiçce, & quod remanserit in
signis, gradibus, minutis, & secundis, ostendit tibi æqualem seu mediū
motum quæsitum, ad tempus tuum propositum, super meridianum
Babenbergensem, diebus æquatis. Exempli gratia: Inquirendus sit
medius motus Solis, Veneris & Mercurij (habent enim hi tres planetæ
eundem medium motum) ad annum Domini Saluatoris nostri Iesu
Christi 1521 currentem, ad 16 diem Ianuarij, post meridiem hora se-
cunda, minuta 45. à tempore isto dato subtraham æquationem dierū.
Et quia Sol tunc temporis circa sextum Aquarij gradū reperitur, ideo
cum tali gradu Aquarij, sexto scilicet, reperi in tabula æquationis die-
rum unum minutum & 44 secunda, quæ subtraxi à tempore propo-
sito inæquato, & remanserunt dies Ianuarij 16, horæ duæ, minuta 43,
post meridiem, tempore uidelicet æquato. Cum tempore hoc æquato,
scilicet annis Christi 1520 completis, semper enim fit in tabulas medio-
rum motuum introitus cum annis completis, intraui tabulam mediū
motus Solis, sed quia eos annos minimè uno introitu inueni, sed uici-
niores eis annos, uidelicet 1500, quorum motus medius est signorū,
gradum 11, minuti unius, secundorum 13. Hunc igitur subscripti radici
incarnationis Christi, deinde in eodem ordine numerorum, 20 annos
completos reperi, residuum scilicet numerum annorum mei propositi,
& in directo eorum signi 0, gradus 0, minuta 8, secunda 49 offendit,
quæ pari ratione subscripti priori numero. Intraui etiam cum diebus
temporis propositi, scilicet 16, ad tabulam dierum, inueniç ex eorum
directo, signa 0, gradus 15, minuta 46, secunda 13. Deinde quoque
cum horis duabus, ex tabula horarum collegi minuta 4, secunda 56.
Cum 43. autem minutis horæ reperi minutum unum, secunda 46.
ferè. Hos motus subscripti radici incarnationis Christi in hunc mo-
dum.

Radix